DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

ANALYSI,
VERA INDOLE ET EGREGIA VIRTVTE

RHABARBARI VERI,

QVAM

CONSENSV ET AVCTORITATE

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

IN ALMA ET PERANTIQVA HIERANA,

SVB PRÆSIDIO

DN. D. HERMANNI PAVLI JVCHII,

SAC. PALAT. CÆS. COMITIS, FACVLT. MED. H. T. PRO-DECANI ET SENIORIS, PATHOL. ATQVE PRAX. PROF. PVBL. ET ASSESSORIS PRIMARII, SERENISS. SAXON. DVC. VINARIENSIS ET GOTHANI CONSILIARII AVLICI ET ARCHIATRI, NEC NON ACAD. CÆSAR. NAT. CVRIOS. COLLEGÆ,

DN. PROMOTORIS ET PATRONI SVI OMNI OBSERVANTIAE CVLTV PROSEQVENDI,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI HONORIBVS ET IMMVNITATIBVS

LEGITIME IMPETRANDIS,

AD DIEM VII. JVLII ANNI MDCCXLV.

H. L. Q. C.

SOLENNI ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR ET RESPONDENS

ADAMVS CHRISTOPHORVS PRÆTORIVS,

NEOSTADIENSIS AD ORILAM VARISCVS.

ERFORDIÆ,

Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.





PROOEMIVM.



ulta quidem ſunt, quæ medicum perficiunt & ornant; ex omnibus tamen, nihil fere magis ipſum bene inſtruit, & ad artem ſalutarem cum laude & bonis ægrorum rebus faciendam idoneum reddit, quam ſufficiens medicamentorum quoad principia ſua & verum agendi adhibendique modum cognitio. Quum enim medicamenta quaſi ſint arma, quibus adverſus morborum cohortem inſurgit medicus, neceſſe omnino eſt, ut rectum ipſorum applicandi modum calleat, beneque perſpectum habeat,

quibus agendi principiis ſuam qualemcunque operationem abſolvant, ſi cum fundata ratione iniquis morborum inſultibus obviam ire contendit. Jam quidem exiſtimare quis poſſet, medicum ſatis tuto poſſe curare, ſi modo generalem de viribus remediorum notitiam haberet, atque memoria nonſolum teneret, aloen, rhabarbarum & cremorem tartari &c. laxantem poſſidere virtutem, ſed probe quoque intelligeret, qua doſi, quaque forma ſingula hæc propinanda ſint. Verum enim vero, qui ita procedunt, empirici mihi videntur, nulloque modo honorificum veri ac eruditi medici merentur titulum. In eo enim â plebeja differt eruditi ſcientia, ut non ſolum quæ fiant, verum etiam quare, & ex quibus cauſis ita & non aliter eveniant, cognoſcat. Recte igitur omnes ſaniores præcipiunt medici, ut arte ſalutari erudiendi inprimis materiam medicam, quæ remediorum vires & agendi modum diſtincte explicat, diligenter tractent. Quod quidem præceptum licet omni laude dignum ſit; graviter tamen dolendum eſt, quod nulla fere medicinæ pars, quam quæ de

reme-

remediorum operatione agit, levius usque dum ſit tractata. Quod ſi enim pleraque & ſatis alioquin egregia doctorum virorum de materia medica monumenta evolvimus, ſimplicia quidem, eorumque præparata hiſtorice inibi deſcripta & ſecundum originem, naſcendi modum & characteres ſuos bene examinata, pulchrisque ſæpe iconibus expreſſa deprehendimus; de genuinis autem ipſorum principiis & veris virtutibus vel altum eſt ſilentium, vel tam incerta, ſibi invicem contradicentia & gratis aſſumta legimus principia, ut tam confuſum chaos medico erudito & per rationes ſapienti non poſſit non ſtomachum movere. Cauſam hujus ignorantiæ perquiſituro vix occurrit alia, quam quod pleraque ſimplicia nondum ſatis exacte per chymiam rationalem ſunt examinata; quæ tamen ſi verum fateri licet, januam aperit ad cognoſcenda elementa, quibus medicamenta ſuas in corpore humano operationes exercent. Neque ſane difficile eſt, etiam hujus defectus veram invenire rationem: ſiquidem vel nonnullis commoda ſimplicia examinandi occaſio defuit; nonnulli au-

tem rationalis chymiæ fundamentis destituti examina perverse & inutiliter instituerunt. Quæ quum mecum perpenderem, & de inauguralis dissertationis themate serio deliberarem, operæ me pretium facturum esse judicavi, si ego, qui olim arti pharmatevticæ operam dedi, de simplici quodam ex materia medica desumto pro viribus verba facerem, maxime quum in plurimis dissertationibus morbi pertractari soleant, novumque thema invenire difficile sit. Ex amplissima autem, quæ in pharmacopoliis prostant farragine accurratiori aliqua disquisitone dignum censui rhabarbarum, cujus sane uberrimus & verè præstantissimus in varii generis morbis sanandis est usus. Quapropter nonsolum rhabarbarum accuratiori examini chymico subjeci, & in ejus originem, quantum fieri potuit, curatius inquisivi; verum etiam secundum principia ex chymica analysi cognita, verum ejus usum docere allaboravi. Quos autem qualescunque conatus meos ut B. L. æqui bonique consulat, mihique forsan impingenti benevole condonare velit, est quod humaniter oro rogoque.

§. I.

§. I.

Rhabarbarum verum, cujus principia, vires & veros usus jam demonstrandos suscepimus, eodem significatu appellatur *Rheum* & *Rheon* item *Rha:* quae ultima denominatio secundum *B.* NEVMANNI *praelection. chym.* cap. de rhabarbaro vero, a flumine rha, hodie Wolga dicto originem ducit; unde dein ex adjecta voce barbarum rhabarbarum componitur, quod quasi radicem apud barbaros nascentem designat. Arabibus dicitur *Rivand* cognomine Sini, id est sinarum, quia ex regno amplissimo Sinarum & proxime conterminorum Tartarorum, sive ex China advehitur. Nominatur quoque Alexandrinum quoniam olim per Alexandriam Venetias delatum hinc ad alias Europae provincias perferabatur. Nostris autem temporibus, cum florentissimum Russiae regnum per Tartariam cum Sinensibus frequentiora coepit alere commercia, maxima pars ejus ex Russia ad nos adportatur, ut ideo Russicum sive Moscoviticum rhabarbarum cum Sinensi idem sit, neque aliter differat, quamquod forte per alios subinde mercatores ad nos perveniat. Atque de hoc eo minus dubitare licet, quia ex itinerarariis Russiae satis superque constat, non exiguam redituum Imperatricis partem rhabarbari commercium, quod Imperatrix sola exercet, constituere, ideoque severis cautum esse legibus, ne quis subditorum mercandi & lucrandi fine rhabarbarum ad exteras gentes sine concessione dimittat.

§. II.

§. II.

Eſt autem exoticum hoc vegetabile, ut plurimi rhabarbari commentatores judicant, ſpecies maxima Lapathi, radice gaudens craſſa tuberoſa, aliquantulum fungoſa, foris fuſca, intus crocea, & quaſi carneis rubicundis ſtriis interſtincta. Superior hujus radicis pars abſciſſa, cortice denudata & leniter exſiccata proprie eſt rhabarbarum optimum & verum; appendices autem, ſeu radicis oblonga pars vilioris eſt pretii minorisque virtutis, & proprie dicitur Rhaponticum; licet pro hoc etiam radix quædam in noſtris terris culta & uſui ſervata venditari ſoleat. Quo etiam ſpectat rhabarbarum Monachorum, quod ſimiliter agri noſtri alunt; ſicut ipſemet avarum quendam novi pharmaceuticum, qui in horto ſuo ſatis ſpatioſo & paludoſo rhabarbarum Monachorum larga in copia colebat, & quotannis fere dimidium ejus centenarium ignaris aromatariis divendebat. Hanc autem de rhapontico & Monachorum rhabarbaro conſiderationem hic prætermittens de rhabarbaro tantum vero neceſſaria quædam & utilia paucis ſubjiciam.

§. III.

His ita de varia appellatione & origine rhabarbari breviter prælibatis, jam ipſius examinis chymici, quod de induſtria ſuſcepi, rationem reddam. Nolui enim aliorum, ſed meis videre oculis; alioquin B. NEVMANNI, analyſin rhabarbari chymicam, omnibus, quas ſcio, præſtantiorem, hic fundamenti loco ponere potuiſſem. Primo autem experimentum cum ſpirituoſo

ſo

ſo menſtruo hoc modo inſtitui: unciam unam rhabarbari veri in pulverem redacti cum unciis viginti quatuor ſpiritus vini rectificatiſſimi infuſam cucurbitæ temperato igni arenæ digeſtorio expoſui, & prævia decantatione debitaque filtratione, accepi tincturam ex rubro fuſcam ſaturatam, odoris non ingrati, ſaporis blande amaricantis, temperate adſtringentis, ſubacris & balſamici. Abſtracto leniter ſpiritu ſuperfluo, uncia circiter una tincturæ remanſit concentratæ, quæ ulteriori evaporatione ad legitimam extracti formam conſiſtentiam redacta drachmas duas cum dimidia, & grana quinque extracti reſinoſi primi ſpirituoſi odorati ſuppeditabat. Id, quod remanſit cum aquæ ſimplicis fluviatilis ſufficiente quantitate leniter de coquendo extraxi, indeque decoctum adhuc ſaturatum, coloris ex rubro fuſci, ſaporis amaricantis & ſub adſtringentis obtinui, quod debita evaporatione exſiccatum drachmas duas cum ſcrupulo uno extracti gummoſo-aquoſi ſecundi dedit, remanentia hujus unciæ exſiccata drachmas tres ponderante. Ut igitur uncia una rhabarbari veri ſupeditaverit

Extracti ſpirituoſi primi ʒiiß. & gr. v.
aquoſi ſecundi ʒij. & ℈j.
remanentiæ ʒiij.

§. IV.

Deinde unciam unam rhabarbari veri pulveriſati cum ſalis tartari drachmis duabus remixti cum aquæ puræ ſimplicis ſufficiente quantitate adhibito leni ignis gradu decoquendam curavi & tincturam aquoſam al-

alcalicam, coloris rubicundi pellucidi, ſaporis ſatis amaricantis, temperate adſtringentis ſubacris & balſamici obtinui, quæ ubi turbulenta ſubſederunt, decantata poſt lenem evaporationem drachmas ſex cum dimidia ſuppeditavit extracti gummeo-reſinoſi, ex rubro fuſci. Reſiduum debito modo exſiccatum drachmas tres pependit, aperto indicio, menſtruum aquoſo alcalinum majori pollere efficacia, virtutes medicinales in extracto contentas apte facileque extrahendi. Spiritus vini reſiduo affundere, indeque reſinoſum extractum colligere nolui, partim quod exigua illius portio mihi indicabat, parvam in ipſo adhuc latitare extracti reſinoſi ſecundi quantitatem, partim quod B. NEVMANNVS de eodem rhabarbari pondere vix grana quinque reſinoſi principii obtinuit, ut ejus prælectiones chemicæ oſtendunt.

§. V.

Ex dictis & adductis experimentis jam ſatis apparere arbitror: noſtram radicem 1) in contextu ſuo fovere partes reſinoſas, quæ ſe per extractionem cum Spiritu vini rectificatiſſimo clare manifeſtant, 2) gummoſas, per extractionem aquoſam conſpicuas; quæ tamen illas copia multum ſuperant, & præcipuum ingrediens conſtituunt, 3) terreſtres quæ poſt extractiones reſiduæ ſolvi amplius nequeunt, 4) ſalinas ſtimulantes, valde tamen tenues atque volatiles, â quibus laxativa rhababari virtus dependet. Quæ licet per chymicam encheireſin ſeparari, & ad oculum demonſtrari nequeant, mixto tamen immerſæ hærent, quod inter

alia hæc evincunt argumenta. Primo enim vis laxans facile in auras avolat, si radix diutius pulverisata adservatur, indicio, hanc volatili principio consistere. Deinde in substantia data duplo majorem habet laxandi virtutem, quam si in infuso propinatur. Cui accedit, ut pœne omni alvum stimulante facultate possit privari, si in vase aperto cum aqua diutius coquitur. Imo etiam sola extracta hoc volatile principium in rhabarbaro contentum patefaciunt, utpote quæ minus quam rheum in substantia alvum movere solent: siquidem experientiæ testimonio drachma dimidia pulveris plus laxat, quam extractum ex eadem pulveris quantitate paratum.

§. VI.

Quod ad speciales nostri medicamenti vires attinet, a priscis jam temporibus omnes medicorum scholæ personant, rhabarbarum laxare & adstringere, quas facultates ipsi merito tribuendas esse ex §pho V. facile patet; ideoque in omnibus iis morbis, qui utrumque expetunt effectum, ut in diarrhœa & dysenteria, malo hypochondriaco & hysterico, gonorrhœa benigna, fluore albo, pollutionibus nocturnis, vomitu cruento & mensium fluxu nimio &c. rhabarbarum utilissimum erit medicamentum. Maxime autem omnium in *diarrhœis & dysenteriis specifice* solet laudari: neque inter initia mali datum concepta spe ægros frustratur, ideo quod pravam acremque materiam, alvi irritatricem corrigit, educit, & in recessu simul roborantem & adstringentem exserit effectum. Neque immerito

anima audit hepatis: continuato quippe usu morbis ex vitio hujus visceris oriundis, ut ictero, cachexiæ, scorbuto, hydropi &c. egregie succurrit. Jam quidem sunt nonnulli, e. g. b. NEVMANNVS, qui ob roborans & subadstringens principium huic medicamento in dictis morbis parum fidendum esse contendunt. At perpendendum esse censeo, affectus jam allegatos sæpius a viscerum atonia oriri, quæ ideo sicut alias medicamentis martialibus, ita longe securius rhabarbaro potest emendari.

§. VII.

Tum quoque hoc nomine plurimum commendandum venit rhabarbarum, quod blandæ & naturæ valde amicæ est operationis, pariterque infantibus ac adultis tuto potest exhiberi, singulisque fere constitutionibus & plerisque morbis convenit. Neque reticenda est virtus ejus diuretica, a salinis forte particulis proveniens, qua, observante *B. Joh. Maur.* HOFFMANNO in *prolus. mat. med.* urinam leniter stimulat, quam etiam colore flavo tingere solet. Continet insuper principium quoddam vaporosum, odore nares feriens anodynum, cujus virtute vertiginosos lædere posse, quidam adserunt. Licet vero nimius rhabarbari abusus hisce hominibus, aliquo modo adversus esse queat; nemo tamen profecto de prudenti ejus usu hoc fundata quadam ratione defendere poterit. Verbo dicam, rhabarbarum plane benedictum & polychrestum est mendicamentum.

§. VIII.

§. VIII.

Ut vero ſplendidæ & plane inſignes rhabarbari virtutes eo clarius innoteſcant, pauca adhuc de ſpeciali ejus uſu & adhibendi modo proferam, præcipua ejus præparata expenſurus. De uſu rhabarbari in ſubſtantia & pulvere jam ſupra §pho V. adnotavimus, quod efficaciorem habeat vim laxantem, quam ſi ignem jam expertum in alia forma porrigitur, & cum virtus ejus ſubadſtringens, ſive roborans, a particulis terreſtribus plurimam partem dependet, nihil dubii eſt, quin roborandi fine in diarrhœa, dyſenteria, gonorrhœa benigna, fluore albo & aliis morbis §pho VI. indicatis optime detur in forma pulveris, qui terreſtres partes adhuc omnes continet. Similiter ſi inteſtinorum canalis viſcida quadam amurca, quæ flatuum proventui velificatur, obſeſſus eſt, rectius quoque datur pulvis rhabarbari, ſalino quodam ſtimulo vigoratus. Nam partibus ſuis fibroſis in ſenſibiles inteſtinorum membranas efficacius agit, ſicque non ſolum viſcidos humores, inteſtinorum parietibus adhæreſcentes perbelle abſtergit, ſed flatus quoque egregie educit.

§. IX.

Quod attinet ad modum præſcribendi pulveres, optime rheum datur in adultis aa. ʒß. ad ʒj. commodeque miſcetur cum ſalibus neutris e. gr. tartaro vitriolato, arcano duplicato, cremore tartari, terra foliata tartari, Sale Sedlicenſi &c. adjecta, ſi opus eſt in robu-

 ſtis

ſtis ſubjectis, & ne doſis pulveris nimia fiat, uno alterove grano diagrydii ſulphurati, vel, ſi multum ſeroſæ colluviei expurgandum eſt, addita debita radicis jalappæ, vel mechoacannæ albæ portione. Immo etiam, ſi ſolo rhabarbaro alvum ſufficienter ſubducere malumus, binæ rhabarbari pulveriſati doſes, quarum ſingula drachmam dimidiam æquat, ita poteſt præſcribi, ut altera circa decubitum, altera poſtero die capiatur. Formulas, facile quisque ſecundum dicta concinnare poterit; interim tamen has in medium adducere lubet:

℞. Rhabarbari elect. ʒß.
🜃ræ fol. ♀ri f. ♀ri ⊕lat. gr. x.
M. f. pulv. D.

℞. Rhabarb. el. ʒj.
Crem. ♀ri ℈j.
M. f. Pulv. dividatur in II. part. æqual. D. S. Davon eins des Abends und eins des Morgens früh zu nehmen.

℞. Rhabarb. el. ʒß.
Arcani duplicati gr. viij.
Diagryd. 🜍rat. gr. ij.
M. f. pulv. D.

§. X.

Quod ſi autem præter laxantem inprimis etiam tonico-roborantem volumus virtutem, ſimiliter quoque cum aliis appropriatis remediis commode poteſt permiſceri. Ita e. gr. in gonorrhœa benigna, pollu-

tionibus nimiis & fluore albo, commode ejus drachma dimidia pro doſi cum granis circiter ſex opobalſami veri jungitur: in hæmorrhagiis nitro addito temperatur, & in nimiis alvi dejectionibus cum C. C. uſto, ſine igne præparato, cryſtallo montana præparata & minima portione olei deſtillati macis vis ejus roborans exaltatur. Tum vero etiam rhabarbarum, ob virtutem ſuam tonicam, ſalutariter ſæpe adjicitur pulveribus aliis roborantibus, eo quidem fine, ut ſubtili ſuo irritante principio adſtringentem reliquorum virtutem paululum mitiget, & inter ſe mixtis medicamentum emergat temperatum & ſecuræ efficaciæ. Hinc exempli cauſa in diarrhoeis, & fluore &c. bonus componitur pulvis roborans & moderate ſiſtens ex ſuccino, maſtiche, cortice chinæ & caſcarillæ, quibus ad infringendam aliquantiſper adſtringentem virtutem non ſine fructu admiſcetur rhabarbari pulvis.

§. XI.

Tincturæ Rhabarbari ſive ſunt ſpirituoſæ, ſive aquoſæ & in pharmaciis animæ dicuntur rhabarbari. Ex aquoſis optime ſunt, quæ ad methodum ROLFINCII cum menſtruo alcalino conficiuntur. e. gr.

℞. Pulveris rhabarbari elect. ʒiij.
Ol. ♀ri ʒj.
▽æ Meliſſæ ſive cichorei ℥iv.
M. & digere leni calore, exprime & filtra.

Atque talis tinctura in paulo largiori doſi oblata non ſolum leniter laxantem, verum etiam minimos viſce-

rum

rum tubulos reſerantem poſſidet efficaciam, ob quam in plurimis morbis chronicis, ſi laxantia & deoppilativa indicantur, ſaluberrimum ſpondet effectum. Longe autem adhuc magis hoc præſtare poterit, ſi cum dimidia vel tertia parte arcani tartari remixta datur, vel ſi hoc ipſum ad drachmas circiter duas dictæ tincturæ inter extrahendum adjicitur. Sic enim majorem abſtergendi, aperiendi, viſcidosque humores per alvum & urinam evehendi acquirit potentiam. Atque habeo ex inſtitutione D. D. Daniel, b. FR. HOFFMANNVM, cujus ille genuinus diſcipulus eſt, in cachexia, hydrope, ictero, hepatis infarctu, hæmorrhoidum vel menſium fluxu nimio & ſimilibus hancce præſcripſiſſe formulam:

℞. Rhabarbar. el. pulveriſat. ℥ß.
extr. gent. rubræ cent. min. aa. ʒiß.
🜄æ fol. ♀ri, ⊖is ♀ri aa. ʒj.
🜄æ card. bened. ℥viij.
Coque & ſolve leni calore, exprime & filtra D. S. Rhabarber-Tinctur zu 80 - 100. Tropffen.

§. XII.

Tinctura ſpirituoſa inferiorem quidem aquoſa habet energiam; interim tamen ſegnioribus ſubjectis optimo cum effectu, non quidem laxandi, ſed aperiendi & incidendi ſcopo porrigitur; licet etiam continuato uſu & auctiori doſi bene expeditam alvum ſervet. Quam ob rem etiam non condemnendus plane illorum mos mihi videtur, qui in morbis hypochondriaco-hyſtericis & aliis, ex viſcida ſanguinis & humo-

rum

rum impuritate oriundis, ut ſcabie, tincturam rhabarbari ſpirituoſam æquali portioni tincturæ antimonii tartariſatæ, ſive tartari admixtam, ut ſanguinem purificans præſcribunt; Sicut B. TEICHMEIERVS ſolitus fuit, itemque Cel. STORCHIVS in libro, Mediciniſche Jahr-Gänge dicto.

§. XIII.

Jam disquirendus venit ipſius extracti uſus & adhibendi modus. Utrumque autem extractum tam aquoſum, quam ſpirituoſum, egregias habet virtutes laxantes & roborantes, iis licet, quæ ipſi pulveri inſunt, paullo inferiores; ideoque perinde ac pulvis in iis morbis, qui utramque poſtulant opem, bono cum ſucceſſu ad ℈j-ʒß. poteſt propinari. Obſervarunt tamen auctores nonnulli, ex quibus inſtar omnium B. NEVMANNVM allegare ſufficiat, ſpirituoſum extractum multo lenius ſtimulare & ſubadſtringere. Cui quidem ſententiæ & ego ſubſcribere nullus dubito, quoniam aquoſum extractum non ſolum gummoſas, ſed plurimas quoque reſinoſas (per §um IV.) continet particulas, adeoque duplici agit principio. Atque etiam ipſæ tincturæ rhabarbarinæ hanc meam confirmant ſententiam, quarum ſpirituoſa, reſinoſis agens particulis mitius longe operari ſolet aquoſa, per §um priorem XII. Optime autem datur extractum vel in forma pilulari, vel in menſtruo quodam ſolutum. Ita e. gr. ſtimulandi fine variis admiſcetur pilularum formulis; quarum tamen exempla hic cumulare nolo, ſed id tantum urgeo, quod non tam laxandi quam potius roborandi

ſcopo utiliſſime ſæpe baſin conſtituat pilularum tonicarum in fluore albo, gonorrhœa chronica & pollutionibus nimiis proficuarum. En! autem formulam, B. FR. HOFFMANNO in dictis affectibus uſitatam.

℞. Extr. rhabarbar. ▽ſi ʒij.
Succini, maſtiches, oſſis ſepiæ, terebinth. Venet. aa. ʒß.
Opobalſami, extr. caſcarillæ ▽ſi aa. ℈j.
m. f. l. a. MP, & ex ℈j. hujus maſſæ pilulæ XX. D. S. ſumantur pro una vice N. XX.

§. XIV.

In formam liquidam autem optime redigitur cum liquore terræ foliatæ tartari in hunc modum:

℞. extr. rhabarbari ▽ſi ℥j.
liqu. ▽ræ foliat. ♀ri ℥j.
M. D. S. eröffnendes Elixir zu 80. - 100. Tropfen.

Atque ſic evadit laxans tutum pariter atque proficuum, quod in malo hypochondriaco, aliisque morbis cum atonia ventriculi & inteſtinorum complicatis, in cachexia & incipiente hydrope inprimis commendari meretur. Tum quoque in morbis chronicis, ex viſcerum abdominis atonia propullulantibus, in quibus ob defectum bonæ bilis largus cruditatum acido-viſcidarum eſt proventus, plurimum intereſt ut non ſolum extractis amaris balſamicis defectum bonæ bilis expleamus, ſed alvum quoque, quæ plerumque ſtrictior eſt, apertam ſervemus. Quo fine b. FR. HOFFMANNVS ut ſcripta ejus uberrime docent, multum tribuere ſolebat elixiriis viſceralibus, ex extractis amaricantibus

ricantibus in lixiviofo menftruo folutis, compofitis, quibus, ut alvus fimul ad officium fuum redigatur, cum fructu adjiciebat extractum rhabarbari aquofum, e. gr.

℞. extr. rhabarb. aquofi, cent. min. card. bened. ▽ræ fol. ♀ri aa. ʒij.
Coque & folve leni calore in ▽æ meliffæ & menthæ aa. ℥iv. filtretur, detur.

§. XV.

In infufis quoque laxantibus & refolventibus optime datur rhabarbarum, fed majori quam in fubftantia dofi ad ʒij. vel ℥ß. Atque fane & in hac forma, ob fuam, quam fine moleftia præftat operationem, & ob vim, quam fimul exferit roborantem, multis modis præferendum eft foliis fennæ fine ftipitibus, agarico, fibris hellebori nigri & aliis &c. Equidem actum agerem laborem, fi hunc rhabarbaro in infufo utendi modum multis commendare elogiis fufciperem, quum in vulgus usque notum fit, infufa tam vinofa, quam aquofa laxantia, ex fpeciebus refolventibus & amaris roborantibus, maximeque rhabarbaro compofita, in variis diuturnis morbis, ut menfium defectu, fluore albo, cachexia, ictero, hydrope &c. utiliffime adhiberi. Maxime autem omnium infufa rhabarbarina in ictero, infarctu hepatis & obftructione ductuum biliariorum, item in febribus intermittentibus tam tertianis, quam quartanis rebellibus præclaram præftant operam. Quo in cafu infigniter profuiffe memini fequens infufum ad libram unam & ultra quotidie, quan-

tum per ventriculi rationem fieri potuit, tam calide quam frigide per tempus aliquod haustum:

℞. rhabarb. elect. ℥j. - ℥iß.
rad. rubiæ tinct. graminis, curcumæ, aa. ℥ß.
Hb. capill. ♁r. hepatic. nobil. aa. mj.
marrub. albi, summitat. cent. min. aa. mß.
Sem. fœnic. ʒij.
passular. min. ℥iß.
♀ri ♀risat. ʒiij.

M. c. c. infundantur cum mensuris tribus vel quatuor ▽æ ferventis per noctem, & mane super ignem ebulliant.

§. XVI.

Inter aquosa infusa inprimis etiam referri merentur potiones rhabarbarinæ sive solæ, sive rhabarbarino-mannatæ, quas in frequenti habuit usu b. FR. HOFFMANNVS, omnesque in artis exercitio felicissime adhibent, qui tutam ejus & naturæ accommodatam medendi methodum imitantur. Etenim cum rejectis omnibus drasticis remediis, tonum & motum peristalticum debilitantibus, blanda & secura laxantia inprimis in usum ducenda sint; Nemo sane mihi vitio vertet, si etiam rhabarbarum tanti facio, & ceu securissimum laxans commendandum puto. De infusis vinosis, quorum præparandi modus satis superque cognitus est, nihil commonefacere lubet, nisi quod plerumque rectius infusio fiat cum aqua, adjiciendo post refrigerationem, sufficientem vini quantitatem, quam cum solo vino, cujus spirituosæ partes inter coquendum avolant, remanentibus & se magis explicantibus

acidis particulis, operationem laxantem ſæpe remorantibus, vel tormina ventris producentibus.

§. XVII.

Paſſulæ rhabarbarinæ inter præcipua pertinent rhabarbari præparata, quarum præparatio ita adornatur: Recipe pulveris rhei electi ℥ß. infunde cum ſ. q. ∇æ ſimplicis feruentis, exprime & cola: poſtea colaturam affunde libræ dimidiæ paſſularum minorum, a ſordibus purgatarum & ſacchari candi pulveriſati unciæ. Coque hæc promiſcua leniter in vaſe apto ad ſpiſſam conſiſtentiam & ſerva uſui. Atque hæ ſunt clementiſſimum & cuivis fere ætati aptiſſimum laxans medicamentum. Quod ſi enim teneros infantes tuto purgandi intentio eſt, hæc optime poteſt expleri, ſi paſſulas laxativas offerimus, idque eo magis, quia ſine nauſea, quam tenelli ex aliis remediis facile percipiunt, commode poſſunt adſumi. Si porro in adultis hominibus ad alvi ſegnitiem emendandam deſideramus remedium, quod ſine moleſtia & ſubſequente adſtrictione alvum præſtet lubricam, ſimili ratione dictæ paſſulæ omne abſolvunt punctum, ſi poſt cœnam & matutino tempore ſubinde ad cochlear unum deglutiuntur. Atque hoc fine non ſolum hypochondriacis, quorum frequentiſſimum ſymptoma alvi obſtructio eſt, ſed aliis quoque, & inprimis gravidis duritie alvi ut plurimum laborantibus, ſaluberrimam præbent medicinam; maxime cum tonus ventriculi & inteſtinorum nimis læderetur, ſi quis fortioribus remediis alvi adſtrictionem crebrius reſerare tentaret.

§. XVIII.

Porro optimis rhabarbari præparatis accenſendus eſt notiſſimus ille officinalis ſyrupus de cichorio cum rhabarbaro, quem mulierculæ noſtrates ad mœconium expurgandum recens natis offerre ſolent. Neque raro excipientis loco adhibetur, ſi pueris alia laxantia, quæ plerumque faſtidiunt, aſſumtu grata reddere volumus, quæ ideo cum hoc ſyrupo bene ſubacta in Electuarii formam commode rediguntur. Imo etiam idem hic ſyrupus cum æquali portione oxymellis ſquillitici remixtus cum fructu propinatur infantibus aſthmate humido laborantibus, ut non ſolum mucus in pectore reſolvatur, ſed alvus quoque, quæ plerumque conſtipata eſt, ſimul aperiatur. Neque ſpernendus eſt ſyrupus de rhabarbaro ſolutivus, adjecta ſenna præparatus, qui nonſolum infantibus per ſe poteſt dari, ſed decoctis quoque aperientibus ad edulcorandum viresque illorum reliquas adjuvandas admiſceri.

§. XIX.

Rhabarbaro toſto ſpecifica â multis tribuitur efficacia in nimiis alvi dejectionibus ſiſtendis. At vero, ſi rem æqua lance libramus, vix aliter agit, ac iners quoddam terreum; & quum rheum recenter pulveriſatum hoc præſertim nomine in dyſenteria atque diarrhœa laudari ſolet, quod (per §um VI.) ſubducta prius cauſa materiali leniter poſtea roborat: recens omnino toſto, ſuisque agendi viribus per ignem privato, multis modis eſt præferendum. Neque ſilentio præte-

præterire possum oleum rhei rubrum, inter Anglos solemne, quod teste NEVMANNO, loco cit. ex rheo & amygdalis exprimitur, & in iisdem intestinorum morbis frequentissime adhibetur. Jam quidem oleosa in tali casu ad spasmos intestinorum laxandos efficacia sua non carent; an vero rhei principia libere sic agere queant, valde dubito. Etenim laxantem hujus virtutem quodammodo hebetat pingue olei involucrum; subadstringens autem energia huic oleo parum inest, utpote quæ a terrestribus particulis præcipue dependet. Rhabarbarum itaque in substantia, idque si tormina ventris urgent, præmisso vel subjuncto oleo amygdalarum offerre præstat.

§. XX.

Atque hæc sunt, quæ de rhabarbari analysi, vera indole & egregia virtute pro ingenii modulo proferre placuit, nihilque superest, quam ut DEO O. M. pro præstito hactenus auxilio humillimas agam gratias, sincereque voveam, ut in generis humani commodum eveniant hæc omnia.

F I N I S.

Pag. 7. lin. 23. pro itinerarariis lege itinerariis.
Pag. 12. lin. ult. pro mendicamentorum lege medicamentorum.

 

